



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Catalogus Episcoporum Hildesiensium

Letzner, Johannes

Hildesheim, [ca. 1690]

XXI. Bernardus I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64252)

XXI. BERNARDUS I. Comes de Rotenburg & Dominus in Walhusen, quod Dominium ejus dono Cathedralis Ecclesiæ possessionibus accessit, ob raram virtutem & prudentiam è Præpositura ad pedum Episcopale invitatus & reluctans evectus est Anno 1130 cum omnium gaudio. Anno 1131. cum Lothario Rege ac universis ferme Germaniæ Episcopis Innocentio II. Pontifici adfuit in Leodiensi Concilio & in Autumno celeberrimum Concilium Rheimense cum S. Norberto Magdeburgensi Archi-Episcopo accessit, ubi effecit, ut in Divorum Catalogum referretur S. Godehardus. Cujus honori Templum & Monasterium Hildesii construxit ac fundavit: atq; in illa sacra ejusdem Divi Lipsana, supplicatione solenni è summa Æde transtulit, plurimis subsequens miraculis & beneficiis. Virginibus in Ringelheim reformationem recusantibus ex Ordine S. Benedicti Viros Religiosos substituit. Arcem & Comitatum Wintzeburg, morte Comitis per genium Pileolum, vulgò Hödeken dictum, sibi insinuatâ, recuperavit. Foundationem Monasterii Derneborgensis ratam habuit Anno 1143. Denique oculis captus, onus Episcopale resignavit: ac tandem Anno 1154. 20. Julii, post annos 23. in Episcopatu cum laude & sanctitate transactos, ad Superos abiit, corpus verò in Choro Templi S. Godehardi miraculis clarum requiescit.

XXII. BRUNO Ex familia Nobilium de Hotten seu Hottelem, primò Decanus, deinde hujus Ecclesiæ Antistes Anno 1153. electus, pietate & literarum studiis mirificè fuit deditus, unde vel doctissimis